

calor copiosior ipsis denegatus fuit, ne sanguis à calore illo absumeretur, & resolveretur, unde steriles evaderent; quod viragibus, & quæ nimis calidæ sunt, accidere, experientia testatur. Sua enim natura nõ plus, vel minus etiam sanguinis generant, quàm viri. Viri verò etiam si eandem, aut fortassis etiam majorem, copiam sanguinis generent: calor tamen ipse major & efficacior multum de eo resolvit. Quibus accedit & illud, quod vitam minus negotiosã & laboriosam agunt, quàm viri: unde frigidorum succorum major copia in iis colligitur, quibus calor veluti obruitur & retunditur, ipsarumq; carnes sunt humidiores, molliores & frigidiores. Etsi verò citius adolescant fœminæ: tamen id non provenit à majore calore, sed materiæ tenuitate & humiditate. Molliores enim & humidiores carnes & partes habent, quæ propterea etiam calori minori facile cedunt, atque ab eo extendi possunt.

Temperamenta ætatum.
Longè verò major temperamentorum apparet differentia ratione ætatum. Ætates enim non annorum numero: sed internis quibusdam calidi & humidi mutationibus præcipuè definiri debent; à quibus reliquæ, quæ in corpore fiunt, mutationes, quibusq; ætates sæpe circumscribi solent, dependent, ut sunt vox articulata seu sermo, dentitio, intelligentia, pubertas, menses, robur, canorum ortus & similia. Nam cum corporis nostri natura sit mutabilis,

& ab internis principiis hoc obtineat (etsi causæ externæ etiam aliquid ad hanc mutationem faciant) ut non in eodem statu permaneat, calorq; in humidum agendo continuo aliquid ejus depascatur & absumat: hac corporis nostri, quæ ex actione calidi nativi in humidum primigenium oritur, mutatione ætates definiuntur & circumscribuntur. Quæ mutatio cum definito tempore nõ fiat, sed in aliis citius, in aliis tardius eveniat: etiam ætatum spacium annorum terminis ita exactè definiri non potest.

Numerum autè ætatum alii aliter definiunt. Aristoteles, *de vita & morte c. 18.* vitam humanam commodè divisit in tres ætates, dum inquit: *γένεσις ἴσιν ἢ πρώτη μέθεξις σὺν τῷ θερμῷ τῆς θρεπτικῆς ψυχῆς. Ζωὴ δ' ἢ μὲν ταύτης: νεότης δ' ἴσιν ἢ τῆς πρώτης καταψυκτικῆς μορῆς αὐξήσις: γῆρος δ' ἢ τῆς φθίσεως: ἀκμὴ δὲ τὸ τῆτων μέσον.* Ortus est prima vegetativæ animæ cum calore participatio: vita verò mora ejus: juvenia, prima refrigerabilis particulæ auctio: Senectæ ejusdem decretio: status autem, quod horum medium est. Quæ ratione quoq; jam ante Aristotelem ætates divisisse videtur Hippocrates, dum *1. aph. 13.* nominat *μειράκια, παιδία, καθεστηκότας, γέροντας:* & sequenti aphorismo *μειράκια & παιδία* unico τῶν αὐξανόμενων nomine comprehendit, atq; ita etiam tantum tres ætates constituit; αὐξανόμενων, in quibus, uti Aristoteles explicat, est τῆς πρώτης

à quare describenda.

Ætatum numerus.